

tione; neque latino Episcopo seu ordinario amplius fas sit graecum Clericum, a se, ut permittitur, latino Ritu in minoribus ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad graecum antistitem remittere, ut ab eo ad sac. ordines graece promoveatur, sine dispensatione apostolica: sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino praesule ordinari facere. A Ritu enim latino ad graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione apostolica.

XXV. Hinc eadem literae dimissoriales potiori jure denegandae sunt Italo-Graecis, qui, quamquam baptizati Ritu graeco, non modo primam tonsuram et minores ordines latino Ritu susceperunt, sed etiam latine vixerunt et postea ad majores ordines Ritu graeco provehi cupiunt; nam latinus Ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque specialis Sedis Apostolicae auctoritate deserere nequit; ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad Ritu graecum redeant, indigent apostolica dispensatione; ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini, servarent, nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines, virgines, non viduas neque corruptas duxerint, romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

XXVII. Praeterea si quis Diaconus, Subdiaconus vel Presbyter post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit vel si uxorem non habeat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et successorum nostrorum romanorum Pontificum arbitrio, infligendis, severissime punietur, verum etiam statim ab ordine erit deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter graecus conjugatus, antequam ad sacrum sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam vel per triduum ab uxore curet abstinere.

§. 8. De Sacramento Matrimonii.

I. Curent ordinarii locorum, ut decretum sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.

II. Matrimonia inter conjuges graecos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittantur aut patiantur; et si qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

III. Quia vero secundum apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta et nubendi, cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas et tertias et ultiores etiam nuptias Graeci non condemnant, sed illas tanquam legitimas et validas approbent inter personas, quae alias licite de jure ad invicem matrimonio jungi possunt.

IV. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant; nec ipsos bigamos ad sacros ordines sine speciali dispensatione apostolica promoveri liceat.

V. Et quoniam apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur; ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus ac districte praecipimus, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari alterius non praesumant statutum quoad hoc Generalis Concilii observantes.

VI. Item in cognationis spiritualis, quae in baptismo et confirmatione contrahitur, gradibus servetur id, quod in Tridentina Synodo definitum est. In baptismo videlicet inter suscipientem et baptizatum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, cognationem contrahi; eamque rursus, quae ex confirmatione oritur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem non egredi, omnibus inter alias personas spiritualis hujus cognationis impedimentis matrimonii sublatis.

VII. Maritus latinus uxoris graecae Ritu non sequatur.

VIII. Latina uxor non sequatur Ritu mariti graeci.

IX. Graecus maritus potest, si velit, Ritu uxoris latinae sequi; item graeca uxor potest, si velit, sequi Ritu mariti latini; post cujus obitum ad Ritu graecum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique conjugum in suo Ritu, catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter maritum vero graecum et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus

vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit.

XII. Ejus autem loci ac Ritus parochus debet assistere, ubi et quo Ritu matrimonium contrahitur.

§. 9. Ritus graecus qua ratione in Italia et insulis adjacentibus servandus; de Graecorum seu Albanensium subjectione Episcoporum latinorum jurisdictione.

I. Quoniam Orientalis Ecclesiae Ritus, utpote non minima ex parte a sanctis patribus profecti vel a majoribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri romani Pontifices satius consultiusque duxerint, Ritus hujusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere quam illos ad romanarum Caeremoniarum normam reducere; idcirco Graecis ipsis et Albanensibus Ritus graeci inter Latinos degentibus, tam Praelatis, Parochis et Presbyteris saecularibus quam regularibus et laicis, ut suis Ritibus atque observantiis sive consuetudinibus uti ac illos et illas observare Missasque et alia divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere ac licite possint, concedimus et indulgemus; nec super his a quoquam latino ordinario illos vel illorum quemlibet molestari vel inquietari permittimus inhibentes omnibus et singulis Praelatis aliisque, ne quis Ritus et Caeremonias Graecorum in Concilio Florentino vel alias approbatas blasphemare aut reprobare seu improbare audeat.

II. Si vero dictis Graecis et Albanensibus in suis Ritibus permanere concessum esse atque indultum, declaramus, ut quae a fidelibus in dioecesi, ubi ipsi habitant, universim et

sine ullo personarum ac Rituum discrimine juxta sacros canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante Rituum diversitate, obligati censentur.

III. *Cujusmodi sunt in primis Calendarii Gregoriani observatio*, juxta quod iidem Graeci et Albanenses tenentur universalis Ecclesiae jejunia et festa celebrare, ut puta, jejunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam et caetera hujusmodi, quae in latina et graeca Ecclesia aequae celebrantur.

IV. *Deinde summi romani Pontificis et Ordinarii loci in missis ac divinis Officiis commemoratio*, non Patriarcharum neque Antistitum orientalium, quibus nulla est in Italia et adjacentibus insulis jurisdictio; ubi tamen graeco-catholico Antistiti, ex licentia Sedis apostolicae vel Ordinarii loci pontificalia exercere permittitur, ejus quoque nomen juxta Graecorum morem post summum romanum Pontificem et Ordinarium loci commemorare liceat.

V. *Tum subjectio omnibus et singulis romanorum Pontificum constitutionibus contra sollicitantes* praesertim in confessione editis, quae in singulas nationes universim vires suas extendunt ac Latinos aequae ac Graecos sua amplitudine comprehendunt.

VI. *Demum dies festos de praeepto latinae*, ubi degunt, Ecclesiae servare tenentur.

VII. *Ad observationem autem jejuniorum et vigiliarum ejusdem latinae Ecclesiae* si tota loci illius Graecorum communitas vel potior laicorum pars cum Parochis et Presbyteris conjuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis apost. dispensatione arbitrio Ordinariorum relinquimus latinorum; non tamen ad id cogi debent, si velint Ritu suum

in jejniis sequi, cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta et feria sexta, ut asseritur, soleant jejunare, neque privatis personis fas sit, ubi parochiam graecam habent, ibi contra proprium Ritu Latinorum more jejunia et vigiliis servare, sed omnes vel graece cum Graecis vel latine cum Latinis jejunent. Ubi vero propriam parochiam non habent, ibi libere et licite possunt in omnibus latino Ritui sese conformare, sive laici sint sive Presbyteri, excepto graeco Ritui, qui in Missis ac divinis Officiis a Presbyteris est servandus.

VIII. Hinc, ubi parochiam graecam habent, tolerandus est apud Graecos esus carniū die sabbati, si sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum et inter eos tantum.

IX. Prohibentur tamen Graeci suis famulis latinis cibos vetitos apponere, sive die sabbati, quando praefatis Graecis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere; latini enim famuli Graecorum latinum Ritu servare tenentur.

X. Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die sabbati in quadragesima, excepto uno sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

XI. In jejniis quoque biduanis vel triduanis vel alias a dioecesanis vel in jubilaeis a summo Pontifice romano indictis dies sabbati in eis comprehensus vel praescriptus in alium diem pro Graecorum plebe ab ipsis dioecesanis apostolica auctoritate permittitur commutari.

XII. Verum quia pro parte dilectorum filiorum graeci Ritus in Corsica habitantium nobis nuper humillime preces porrectae fuerunt, ut auctoritate apostolica declararem, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo et vino, tam

in quadragesima quam in quartis et sextis feriis et in aliis anni jejniis, vel si ad abstinentiam hujusmodi tam ex praeepto quam ex consuetudine Ecclesiae Graecorum, ut nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignemur, ut piscibus, oleo et vino in dictis quartis et sextis feriis et in quadragesima aliisque per annum occurrentibus jejniis vesci ipsis liceret, Nos paternae Pontificiae charitatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Graecis in Corsica habitantibus quam omnibus et singulis Albanensibus et Graecis, qui in Italia et insulis adjacentibus commorantur, tenore praesentium, ut ad instar Latinorum, in quorum dioecesibus degunt, in memoratis quadragesima, quartis et sextis feriis et reliquis anni jejniis, vino, oleo et piscibus cujuscumque generis possint uti, concedimus et indulgemus. Atque literas Clementis Papae XII. praedecessoris nostri in forma brevis datas ad abbatem et monachos monasterii ordinis s. Basilii Magni Ritus graeci orientalis terrae Dimidii Jussi Panormitanae dioecesis, pro monachis graecis et Epirotis eorundem ordinis et Ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint, non obstantibus Ritus graeci ordinationibus, hac nostra constitutione confirmamus et roboramus.

XIII. Cum autem Sedi apostolicae semper curae fuerit graecum Ritu custodire illiusque abolitionem nunquam intenderit aut in animo habuerit, hinc Nos, praedecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi Ritu graecorum intenti, neque expediri ducimus neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii juxta Ritu latinum ad sacerdotium promoveant aliquem

Italo-Graecum dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi latino Ritu ipse ministrans praesit, praesertim quia id graecis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus parochus esse solet, si eundem cum ipsis Ritu graecum colat, quam si latinum sequatur.

XIV. Sed in terris seu locis et casualibus Graecorum et Albanensium, seu in quibus fuerint Graeci vel Albanenses, sive sint indigenae sive ex Graeciae provinciis et insulis vel ex Epiri et Albaniae partibus aut alias undequaque advenerint, graeco Ritu in praesentiarum usque viventes, ad illorum Ecclesias seu curam animarum exercendam, non Latini, neque latinis orti parentibus aut latino more viventes, ad eundem Ritu graecum initiantur, sed Graeci vel Albanenses Ritus graeci respective, catholici tamen et alioquin idonei et sufficientes atque alias qualitates a sacris canonibus habentes, sive sint indigenae sive in defectu indigenarum etiam advenae, ordinentur et eorundem Graecorum seu Albanensium animarum curae praeficiantur.

XV. *Caeterum ad tollendam omnem Ritu commixtionem et confusionem Presbyteri et Clerici latini in Ecclesiis Graecorum* neque missas celebrare neque funeribus, nuptiis ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesument.

XVI. Nec Presbyteri et Clerici graeci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illae subiciuntur, vel ejus in spiritualibus Vicario generali, missas et alia divina officia cum solemnitate et cantu celebrent. Ut autem praefatus Episcopus sive Vicarius generalis praefatam licentiam rite concedere va-

leant, nulla praecisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

XVII. Cum inter Latinos Graecosque Clericos in processionibus, sessionibus aliisque ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine aut proprio arbitrio et voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque et controversiae, quibus charitas et mutua animorum concordia violatur, ob praecedentiae ordinem exoriantur, quia Graeci Latinis et Latini Graecis praecipuum locum dare renuunt, has in posterum dirimere atque amputare volentes praecipimus, ut in praecedentiis hujusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur Ritus graeci et Latini diversitas sed tempus ordinationis praedictorum Clericorum vel qualitas ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel caeterae qualitates, quae jure suo in praefatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

XVIII. Quia in ecclesiasticis Graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae graecae puritatem fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse, orthodoxi dolent, ideo pastorem Latinorum Ordinariorum, in quorum dioecibus iidem Graeci et Albanenses degunt, vigilantium per praesentes nostras litteras excitamus, ut omni ope et studio curent, non aliis Graecos ipsos seu Albanenses tam Praelatos ac Presbyteros saeculares quam regulares ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione et Missis divinisque Officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a sancta Sede apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam correcti typisque impressi fuerint.

XIX. Ita autem Graecos seu Albanenses in suo Ritu, ut praefertur, permanere graecasque caeremonias custo-

dire permittimus, ut Latinorum Episcoporum, in quorum dioecesi degunt, jurisdictioni subjecti censeantur. Itaque Graeci seu Albanenses Ritus graeci, tam ecclesiastici et regulares quam laici, in utraque Sicilia vel aliis Italiae partibus insulisque adjacentibus commorantes, cum suos Ordinarios Graecos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus aliisque privilegiis dictis Graecis eorumque Praelatis, Rectoribus, Abbatibus et aliis tam s. Basilii et alterius ordinis regularibus, qui privatam vitam ducunt nec in Congregationem sunt redacti, quam saecularibus ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X., Paulum III., Julium etiam III. et forsitan alios Romanos Pontifices et Sedem apostolicam in genere vel in specie haecenus concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ita Latinis Ordinariis locorum, quae habitant, debent esse subjecti, ut ipsi locorum Ordinarii quascumque eorumdem Graecorum et Albanensium Ecclesias, monasteria, prioratus et alia pia loca, tam saecularia quam cujusvis ordinis regularia, eorumque Praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali ac majori dignitate praefulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros et quasvis alias ejusdem nationis personas in suis civitatibus et dioecibus consistentes, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictionem plenamque et omnimodam auctoritatem in iis, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem ac animarum salutem haeresumque extirpationem concernunt, exercere et exequi libere et licite valeant; reliquis ipsorum Graecorum et Albanensium in divinis celebrandis aliisque Ritibus a Sede apostolica approbatis, necnon privilegiis et gratiis apostolicis intactis remanentibus, nec ipsis Graecis et Albanensibus Clericis

vel laicis, eorumve praelatis, ecclesiis, coenobiis aut aliis piis locis dictas exemptiones seu privilegia in aliquo suffragari, sed illos omnes et singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni et omnimodae auctoritati in praemissis subesse illisque tanquam superioribus suis suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi ejusdem loci a sancta Sede apostolica deputati, unus Latinus alter Graecus, (quemadmodum in Calabriae partibus et in Sicilia olim fuisse perhibentur et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt), Episcopus Latinus de personis ecclesiasticis et saecularibus Graecis ac de jurisdictione Episcopi Graeci vel aliis quibuscumque ad Episcopum Graecum quomodolibet spectantibus nullatenus se intromittere praesumat; sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum dumtaxat curam, regimen et jurisdictionem respective habeant et exercent. Id quod de Episcopis Graecis pro ordinatione Italo-Graecorum Romae vel in Calabria per Sedem apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus, cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt alumni Collegii Graecorum Romae et Collegii Italo-Graecorum seu Albanensium in Calabria, ad primam tonsuram aut ullum ordinem sive minorem sive majorem nisi cum dimissoriis sui ordinarii promovere valeant.

XXI. In dioecesi, ubi Latini et Graeci inhabitant et solum Archiepiscopum sive Episcopum Latinum ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum Graecorum Vicarium Graecum ipsis Graecis gratum vel per ipsos Graecos eligendum (ex quo Graecus

vir melius Graecos mores novit quam Latinus), ipsorum stipendio et salario retinendum deputet, et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsitan Graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis iudicem Graecum deputare teneatur.

XXII. Ordinationes demum et instituta regularia sanctorum Patrum, qui de vita et statu Monachorum ab Abbatibus et Monachis Graecis s. Basilii in Congregationem reductorum sunt professi, praecipimus inviolabiliter observari eosque omnes et singulos jurisdictioni Ordinariorum Latinorum subijcimus; mandantes insuper, ut quaecumque supra circa Rituum Graecorum observantiam praescripta sunt, admissim exequantur.

XXIII. Salvis tamen et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quae a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, Greg. XIII., Sixto V., Clemente VIII., Paulo V., Urbano VIII., Innoc. X., Clem. XII. et forsitan aliis, tam Collegio pontificio Graecorum de Urbe et Seminario Corsino in Calabria, quam Congregationi dilectorum filiorum monachorum ordinis s. Basilii in Italia concessa sunt et indulta, quibus derogare non intendimus.

XXIV. His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulgimus, declaravimus, praecipimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium et aliarum Christianarum nationum quorumcumque Rituum a sancta Sede approbatorum seu permissorum, pluribus quolibetque, si quae illis de jure vel ex consuetudine vel alias quomodolibet legitime competant, aut apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum vene-

rabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quae super Ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum vel praeiudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus, idque expresse declaramus et pro declarato et in qualibet hujus Nostrae Constitutionis seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus et mandamus.

§. 10.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu, notari seu impugnari aut alias quomodolibet infringi vel retractari seu invalidari aut in jus vel controversiam vocari aut adversus eas et ea quodcumque juris et facti vel iustitiae et gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi ullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet, quacunquē dignitate et honore fulgentibus in futurum inviolabiliter observari debere.

Sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios et delegatos ac commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales et de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandantes universis et singulis venerabilibus Fratribus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis latinis, in quorum dioecesibus Italo-Graeci huiusmodi degunt, ut in suis Synodis, Constitutionibus, Statutis, Edictis, Decretis seu aliis quibuslibet mandatis et monitis, circa eorum Ritus, observantias et consuetudines, praeter

id, quod in Nostris hisce literis expresse et explicite continetur, nihil aliud nisi consulta prius a Sede apost. moneant, edicant, decernant, constituent, praecipiant seu mandent.

Non obstantibus Nostrorum praedecessorum literis aliisque praemissis necnon apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus circa Italo-Graecos huiusmodi eorumque Ritus, observantias, mores ac consuetudines.

Die 6. Maii 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 167. Ed. Rom.)

Excitantur omnes graeci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione utantur; narratur quoque quid pro ea perficienda factum fuerit et quae eidem novae editioni Euchologii praeposita sunt monita latius explicantur.

Ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ritus graeci Ecclesiasticos, Saeculares et Regulares, gratiam et communionem Sedis apostolicae habentes.

Benedictus PP. XIV.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, salutem et apost. benedictionem.

Quo primum . . . §. 1 (9). Primum monitum his verbis conceptum legitur: „Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologii sunt usuri, nosse debent ecclesiasticos sanctorum Patrum Canones et catholicae Ecclesiae Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta aliaque peragentes Officia errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi et Patriarchae, dummodo catholici sint. Quod si alter eorum vel

ambo sunt schismatici sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.“ Quod sane consentaneum omnino est iis, quae decreta fuerunt in Congregatione habita die 1. Maii 1746, quaeque approbatione Nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: „Num in precibus, quae a Sacerdote et Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit nomen Summi Pontificis, tum etiam in caeteris precibus, videlicet: Pro Summo Pontifice N.?“ Redditum autem fuit dubio responsum huiusmodi: „In Instructione initio Euchologii adscribenda admoneantur Sacerdotes graeci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis et eorum Episcopi seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia catholica romana unitus, et insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiae, quae eos remittat ad Instructionem.“ Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso Euchologii textu desiderantur.

§. 2 (10). De commemoratione romani Pontificis in Sacrificio Missae deque huius disciplinae vetustate Nos ipsi fuse disseruimus in Nostro tractatu: De Sacrificio Missae sect. 1. n. 219., sed post ejus libri editionem idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis tractavit Dominicus Georgius Noster, dum viveret, intimus Sacellanus, de Liturgia romani Pontificis tom. 3. cap. 3. num. 14., ubi haec habet: „Solemne semper fuit in Ecclesia catholica, ut romani Pontificis nomen inter sacra mysteria recitaretur“; deinde n. 22. ita subdit: „De romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant et exemplaria sacri Canonis antiquissima.“ Et quidem huiusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa latina, quam Flaccus Illyricus Luthe-

ranus vetusto e codice exscriptam protulit; item antiquissima Liturgia, quae legitur in vetustiori codice Sacramentorum Ecclesiae romanae, quam Ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique sacri Missae Canones, sive impressi sive manuscripti, quemadmodum fuse demonstrat memoratus Praesul Nicolaus Antonellus in sua copiosa ac erudita dissertatione, quam pro injuncto sibi munere Secretarii praefatae Congregationis ad Euchologii correctionem deputatae conscripsit et typis cudendam curavit tunc, quum a Cardinalibus et Consultoribus ea de re disceptari coepit, quam etiam recusam; legere est in appendice ad antiquum Missale monasticum Lateranense tom. 1. collectionis Liturgiae a P. Emanuele de Azevedo adornatae.

§. 3 (11). Hactenus annunciata monumenta ad latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad graec. Ecclesiam, Cardinalis Bona Rer. liturgicar. lib. 2. cap. 11. n. 3. ignotum esse ait, an ea prioribus saeculis in Sacrificio Missae rom. Pontificis mentionem fecit: „An vero primis saeculis Graecia orthodoxa mentionem fecerit romani Pontificis, non liquet.“ Porro Isaacus Habertus in Observationibus ad Pontificale Graecorum part. 8. observ. 12. fatetur se inter prioris aevi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia, infra Missarum actionem, romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: „Vellem factum et laudarem, sed factum non lego: factum quidem laudarem.“ Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiae s. Joannis Chrysostomi sequentia verba legantur: „Nicolai sanctissimi universalis Papae longa sint tempora“, credibile esse ait, temporibus s. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa ann. Christi 1758, Patriarchae nomini adjectum fuisse nomen romani Pontificis. At vero laudatus Antonellus in citata

disseratione contendit, multo ante epocham ab Haberto indicatam in Ecclesia Graeca romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis tum eo potissimum facto, quod refert Nicephorus in historia ecclesiast. l. 16. cap. 17., et testimonio nititur antiquioris atque gravioris historici, Basilii Cilicis; Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychi-anae haeresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat Sacra Chalcedonensis Concilii definitio adversus haeresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit ideoque Acacium communionem privaverit, ausus est hic anno Domini 484 novo et inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis romani Pontificis nomen e Sacris Diptychis abradere. Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria ejusque damnationi acquievit Eccl. Graeca sub Hormisda Pontifice et Justino Imperatore; id quod a duobus Hormisdae Praedecessoribus Anastasio II. et Symmacho obtineri nequiverat. Erat igitur in magna Constantinopolitana Ecclesia (cujus exemplum procul dubio sequutae erunt inferiores aliae Orientis Ecclesiae), erat, inquam, in Sacris Diptychis romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnias. Quod si Acacius hujusmodi nomen primus abrasisse dicitur, ejusque factum ideo etiam inprobatur specialiter fuit, quod, sine praecedenti alterius cujusque exemplo, rem perpetrasset novam et eo usque inauditam, quamvis antea temporibus inter romanos Pontifices et regiae Urbis Episcopos offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora,

ideoque prioribus saeculis, romani Pontificis nomen Sacris Graecorum Diptychis inscriptum fuisse et in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

§. 4 (12). Sed quidquid sit de hoc controverso ecclesiasticae eruditionis capite, Nobis satis est affirmare posse, *commemorationem romani Pontificis in Missa suasque pro eodem in Sacrificio preces censeret et esse declarativum quoddam signum, quod idem Pontifex tamquam Ecclesiae caput, Vicarius Christi et beati Petri successor agnoscitur, ac professio sit animi et voluntatis catholicae unitati firmiter adhaerentis*, ut etiam recte advertit Christianus Lupus super Conciliis scribens tom. 4. editionis Bruxell. p. 422. Haec commemoratio est suprema et honoratissima Communionis species. Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis in chronico p. 228, ubi ita legitur: „Noverit se a communionem totius Orbis separari, quicumque nomen apostolici Pontificis, pro qualicumque dissensione, in Canone non recitaverit“, aut vulgati Alcuini, qui lib. 1. de Divinis Officiis cap. 12. ita scripsit: „Constat ab universi Orbis communionem separatos esse, sicut beatus Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter Sacra Myseria apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant“, sed graviore sententia Pelagii II. Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiae saeculo apostolicam cathedram tenuit, quique in suis literis, relatis in Labbeana Conciliorum Collectione tom. 5. col. 794. et seq. et col. 810., ita ad rem nostram scriptum reliquit: „Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, Dominicae sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in apostolicis Sedibus

collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Praesulum earumdem Sedium auctoritate vel communionem suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in pontificalibus apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi Orbis communionem separatos esse non creditis, si mei inter Sacra Myseria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno apostolicae Sedis, per successionem Episcopatus, praesenti tempore videtis consistere firmitatem?“ Quibus Pelagii literis usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus Sanctus Agobardus in suo tractatu De comparatione utriusque regiminis, qui impressus habetur in magna bibliotheca patrum, impressionis Lugdunensis tom. 14. p. 315 n. 21., et a Balutio recusatus fuit inter alia ejusdem sancti opera tom. 2. p. 49.

§. 5 (13). Satis praeterea Nobis est, hoc tuto asserere posse, *quocumque deum tempore in Ecclesia Graeca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro romano Pontifice in Missa, eam certe in Graecis Ecclesiis viguisse pluribus saeculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam*. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchae, qui vivebat anno Christi 1053, ad Michaellem Caerularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam graece et latine edidit Joannes Baptista Cotelerius tom. 2. Monument. Eccles. Graec. Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus, necnon Alexandrinus et Hierosolymitanus Antistites, roman. Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur ex cit. tom. 2. n. 9. p. 140. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit ostendens, ad suam usque aetatem tum Antiochiae tum Constantinopoli non fuisse intermissam

romani Pontificis commemorationem: „Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione major alique mecum plures eorum, qui in Ecclesia praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarcha Antiochiae Domino Joanne, Papa Romae ipse etiam Joannes nominatus, in sacris Diptychis referretur; Constantinopolim praeterea antehos annos quadraginta quinque ingressus reperi, sub sanctae memoriae Patriarcha Domino Sergio, praedictum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri.“ Additur, nunquam agi coeptum de unionem instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacrae Liturgiae insereretur romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuisse, nisi praedicta initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensus Ecclesiarum Latinae et Graecae in agnoscendo et statuendo, inesse in praefata commemoratione protestationem subjectonis debitae romano Pontifici tamquam Ecclesiae Capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiae, ut supra diximus; contra vero, per hujusmodi commemorationis omissionem declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

§. 6 (14). Quum Michael Palaeologus Constantinopolitanus Imperator, anno 1263 et sequenti, studium suum declarasset redeundi una cum Graecis sibi subjectis in unitatem atque concordiam cum Ecclesia romana, Urbanus IV. Praedecessor Noster hanc conditionem diserte proposuit, teste Niceta lib. 5. cap. 2.: „Ut in sacris Officiis et Diptychis Papae nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur.“ Cumque subinde hujusmodi unionis tractatio ab eodem Michaelle Imperatore et Patriarcha Joanne Vecco resumpta fuisset ac de ea serio actum fuerit in Concilio Ge-